



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1783**

**VD18 90119304**

§. 62. Turbæ occasione Jubilæi promulgati in Galliis exortæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII. „revideri, qua utitur in Conclusionibus  
 A. C. 1722. Quidni igitur etiam hoc titulo Decreta Ro-  
mana vulgo Dogmatica revideri in Pro-  
vinciis poterunt, priusquam publicentur  
aut executioni mandentur, ne subinde  
suas obscuritates non tam sint apta, ut po-  
pulum in fide instituant, & in fidei unitate  
fideles coalescant, quam potius ut majores  
discussiones, circa quæ credenda sunt, ex-  
citentur, & populus super eo, quod cre-  
dendum est, in partes scindatur. Ibid.  
 „pag. 41. §. I.

„Ecce Theologiam Espenii, eccle-  
 „viri principia circa potestatem Prin-  
 „cipum etiam in ipsa fidei Decreta  
 „Post hæc nonne mirari fas est aucto-  
 „ritatem tribui Authori, qui non  
 „Censuras mereatur.”

Adversus hæc Cardinalis Billou-  
 vindicias sub nomine cujusdam Juris-  
 consulti Belgæ postea prodiit epistola  
 die vigesima Octobris anno hujus se-  
 culi vigesimo quarto, ut præfertur  
 edita, quæ in supplemento ad varias  
 collectiones Operum Espenii pag. 58  
 habetur.

## §. LXII.

*Turbæ occasione Jubilæi promulgata  
 in Gallis exorta.*

Dorsann.  
 l. c. p. 108.

Indixerat Innocentius Papa pro impe-  
 trando felici Ecclesiæ regimine anno  
 sæc.

sæcularis solemnitatem, quam ipſus Sæc. XVIII.  
 Romæ in Eccleſia S. Spiritus de Saſſia A. C. 1722.  
 die ſecunda Junii anni prioris decreta  
 ſolemni ſupplicatione inchoaverat.  
 Pontificio hujus Jubilæi diplomate in  
 Franciam delato, Epifcopi Gallicani  
 ſuum Clerum & populum ad ſalutife-  
 rum ſacri hujus theſauri uſum compa-  
 rare adlaborabant: Hanc in rem Pe-  
 trus Sabatier Ambianenſis Epifcopus  
 Catechiſmum edidit, in quo inter alia  
 hanc propoſuit quæſtionem: Utrum  
*Confeffarius illos, qui Conſtitutionem Uni-*  
*genitus, aut non receperunt, aut ab ea*  
*appellarunt, abſolvere valeat?* ad hoc  
 dubium ſequebatur hæc reſponſio affir-  
 mans, *dummodo pœnitentes declarent,*  
*quod eam recipiant, & Superiori, qui il-*  
*lam recipi juffit, ſignificent, ſe interjectam*  
*appellationem revocare.* Inſuper hic Epi-  
 ſcopus haud obſcure inſinuabat, prio-  
 res confeſſiones apud Sacerdotes vel  
 Appellantes, vel Conſtitutionem non  
 recipientes depositas eſſe innovandas,  
 eandemque doctrinam Epifcopus in ſuo  
 mandato inculcabat. Quamprimum  
 Noaillius Cardinalis rem compererat,  
 nulla mora die vigefima quinta No-  
 vembris queſtum ibat ad Cardinalem  
 du Bois, exponens, hos libellos con-  
 ſpirantibus Epifcopis vicinis fuiſſe  
 compoſitos, timendum ergo eſſe, ne

Sæc. XVIII. A. C. 1722. Jacobus de Forbin de Jaulon Arelate-  
 lis, necnon Carolus Vinimillia Aque-  
 sis Archiepiscopi, & Vapicentis, Gra-  
 sensis, Massiliensis, Tolomentis, ali-  
 que in suis Diæcesibus pariter <sup>quosdam</sup>  
 mandata divulgaturi essent; eo enim  
 sine plusquam quater mille hujus Ca-  
 techismi exempla ad varias Diæceses  
 fuisse emissa: se Jubilæi diploma hanc  
 promulgaturum, sed potius in suo man-  
 dato declaraturum, quod appellationi sua  
 inhæsurus esset, nisi hic Catechismus  
 supprimeretur: Cardinalis ne cicatrix  
 per initam concordiam recens obducta  
 refricaretur, annuente Consilio Eccle-  
 siastico, ipsoque Regni Regente cuncta  
 quotquot reperire erat, exempla sup-  
 primi curavit. Nihilominus quampluri-  
 rima Abbavillæ divendebantur, inde  
 ad præcipuas Diæceses impune divul-  
 gata: ipse etiam Episcopus Ambianen-  
 sis libellum precatorium distribuit, in  
 cujus oratione quadam hæc legebantur  
 verba: *Ut divisione rejecta vero Pastor  
 Ecclesiæ tuæ se uniens, tibi digne valeat  
 famulari: suum etiam mandatum unum  
 cum Pontificio Jubilæi diplomate editum  
 ac majusculis literis hæc verba imprimi  
 jussit: nec hæc præsentibus illis suffraganeis  
 poterunt, qui quamvis specialiter non de-  
 minati, vel a Nobis, vel Sacra Sede, vel  
 quovis Præsule vel Judice Ecclesiastico*

publice tanquam excommunicati fuerunt de- Sæc. XVIII.  
nuntiati ac declarati . . . nisi intra duas A. C. 1722.  
hebdomadas satisfecerint &c. In calce etiam  
sui mandati Concionatoribus injunxit,  
ut populum ad Jubilæi gratiam juxta  
præcepta & doctrinas in minori Cate-  
chismo per suum Prædecessorem edito  
contentas disponerent. Hoc idem man-  
datum Pater de Vauroy Jesuita in Am-  
bianensi Cathedrali promulgabat, cun-  
ctosque huic Instructioni oblucentes  
rebellionis reos fore declarabat: Am-  
bianense tamen Capitulum præ ceteris  
reclamabat, obtendens, doctrinam in  
hoc Catechismo contentam Ecclesiæ  
Gallicanæ Doctrinis, & Regiæ decla-  
rationi, qua silentium fuisset impositum,  
esse adversam. Ejusdem ferme tenoris  
Catechismum imprimi jussit Rhemense  
Capitulum, in quo Appellantes utpote  
schismaticos atque hæreticos a Jubilæi  
gratia per Papam exclusos fuisse denun-  
tiabat. Nonnulli quidem questum adi-  
bant Vicarios Generales, qui tamen  
hac in re quicquam sine Regis mandato  
tentare prohibiti, quædam hujus Ca-  
techismi exempla ad Noaillium, Can-  
cellarium, & Procuratorem Regium  
transmisere: Attamen Aurelianensis  
Dux tam Ambianensibus quam Rhe-  
mensibus Canonicis inhibuit, ne circa  
hanc causam ulterius judicio conten-  
derent.

Sæc. XVIII. A.C. 1722. derent Canonici vero Appellantibus interdixit, ne sacræ Regis inaugurationi interesset, nisi prius suam appellationem revocassent, aut saltem Regi declarationi sese subiecisse comprobarent. Pariter Priori Abbatiaë Rhemenis vetitum, ne pro Regis unctione Sacram ampulam deferret. E contra Capitulum Turonense, Sede vacante necnon Antissiodorensis, & Bolouensis Episcopi Jubilæum quidem indixerant in suis tamen mandatis inferebant quod Pontifex, eo quod ad illos æque ac ceteros Episcopos Anni sæcularis diploma transmisisset, nullatenus illis pro schismaticis haberet, proinde Pontificis literæ forent in medio turbarum pacis symbolum, unionis pignus & felix faustumque præsagium, quod tandem dispersa sint iterum congreganda. Subdola hæc Pontificiæ mentis interpretatio tantopere Masseum Apostolicum Nuntium offenderat, ut exclamaret, ergone apud vos Constitutionis *Pastoralis Officii* nulla omnino habetur ratio? Magis sacræ Sedi obsequiosum ac Jesuitis propensum sese exhibebat Arlatensis Archiepiscopus, qui die prima Aprilis mandatum promulgabat, in quo declaratum, Appellantibus, nisi suas appellationes revocaverint, absolutio nem, sicut rem alienam restituere, vel inimico

inimico reconciliari aut a proxima pre- Sæc. XVIII.  
candi occasione recedere recusantibus, A. C. 1722.  
esse denegandam, hanc pertinaciam  
esse crimen enorme, quod sibi soli re-  
servasset, appellantes vero, si Sacris  
operantur vel interfunt, judicium sibi  
manducare & bibere, & excommunica-  
tionem incurere, ac denique a Jubilæi  
gratia excludi omnes, qui suas appel-  
lationes non revocaverint, & Consti-  
tutionem tanquam immotam fidei, mo-  
rum & disciplinæ Regulam non rece-  
perint. Cum autem hic idem Archi-  
episcopus hoc mandatum dictatoribus  
Jesuitis promulgasset, eidem in gratitudi-  
nis signum supremus Societatis Præ-  
positus Michael Angelus Tambourinus  
affiliationis, ut vocant, literas con-  
cessit, hujus tenoris :

„Michael Angelus Tambourinus Præ-  
positus generalis Societatis Jesu il-  
lustrissimo & Reverendissimo Domino  
Jacobo de Forbin de Janson Archiepi-  
scopo Arelatensi salutem in Domino  
sempiternam. „

„Facit illustrissimæ ac Reverendif-  
simæ vestræ virtus & pietas, & in  
societatem nostram benevolentia &  
merita requirunt, ut quidquid a No-  
bis mutui obsequii in Domino referri  
possit, id ei jure ac merito debitum  
esse existimemus. Quamobrem cum

Sæc. XVIII. „nostrum hunc in illustrissimam ac Re-  
 A. C. 1722. „verendissimam Dominationem vestram

„animum nullis aliis rebus quam  
 „ritualibus obsequiis declarare vale-  
 „mus, pro ea auctoritate quam Domi-  
 „nus, licet indignis, in hac nostra so-  
 „cietate concessit, illustrissimam ac Re-  
 „verendissimam Dominationem vestram  
 „omnium & singulorum sacrificiorum  
 „orationum, jejuniorum, & relique-  
 „rum denique bonorum operum, &  
 „piarum tam animæ quam corporis  
 „exercitationum, quæ per Dei gratiam  
 „in universa ac minima societate frui-  
 „participem facimus eorumque plenam  
 „communicationem ex toto cordis af-  
 „fectu in Christo Jesu impertimor:  
 „Nomine Patris & Filii & Spiritus  
 „sancti Amen.

„Insuper Deum & Patrem Domini  
 „Nostri Jesu Christi obsecramus,  
 „concessionem hanc de cælo ratam  
 „firmam habere dignetur; ac de in-  
 „hausto ejusdem Filii sui meritorum  
 „thesauro nostram ipse inopiam suppleat  
 „Illustrissimam ac Reverendissimam Do-  
 „minationem vestram omni gratia,  
 „benedictione in hac vita cumulet,  
 „deinde æternæ tandem gloriæ coronam  
 „remuneret.

Datum Romæ die 28. Martii Anno  
 mille



millesimo septingentesimo vigesimo se- Sæc. XVIII.  
cundo. A. C. 1722.

*Michael Angelus Tambourinus.*

*Antonius Miser J. C. R.  
Secretarius.*

Has literas tanti habuit Archiepi-  
scopus, ut illas non modo pretiosæ in-  
cluderet capsulæ, sed palam etiam  
profiteretur, quod eas una, altera vero  
manu Constitutionem *Unigenitus* tenens  
sepeliri vellet: Nempe sancta simplici-  
tas non raro in Enthusiasmum de-  
generat.

§. LXIII.

*Quorundam Franciæ Episcoporum  
aliorumque Zelus contra Ap-  
pellantes.*

Crescente indies Constitutionem reci- *Dorsann.*  
pientium numero, Franciæ Præ- *l. c. p. 122.*  
sules Regis, ac Regentis auctoritate  
suffulti refractarios ad obedientiam Ec-  
clesiæ decretis debitam revocare, omni  
virium contentione adlaborabant, &  
quidem Gratianopolitanus Episcopus  
acceptationis formulam præscripsit,  
quam omnes Diæcesis suæ Ecclesiastici  
signare jussi sunt: unde Jesuitæ, Ca-  
puccini, Franciscani & tempore Jubilæi,  
&